

D. B. V.  
THESES ANATOMICÆ

DE  
**SANGVINIS  
IN FOETV  
CIRCVLLO,**

Quas,

*Auspice DIVINO NVMINE,*

Sub PRÆSIDIO

DN. JOANN. SALTZMANNI,

Med. D. & Anat. Prof. P. Ord. nec non  
Capit. Thom. Canon.

*Patroni sui atque Præceptoris suspiciendi;*

In Alma Argentoratensium Vniversitate

SOLENNI Philiatrorum Examini  
subjicit

JOANNES CHRISTOPHORVS WEISSE

Waiblinga-Wirtembergicus,  
Auctor & Respondens.

die XXVII. Decembr. Anno M. DCC XIV.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.

SERENISSIMI  
DVCIS ac PRINCIPIS  
WIRTEMBERGICI  
Consiliariis Splendidissimis,  
VIRIS

*Magnificis, Excellentissimis, Amplissimisq;*  
DN. GEORGIO MARTINO GREBER  
J. U. Lto, Regiminis Consiliario.  
DN. JOANNI PHILIPPO BARDILI  
Ab Expeditionibus Fisci Ecclesiastici atque  
Militaris Consiliario.  
DN. JOANNI VLRICO SCHMIDIC  
Consiliario & Archiatro.

*ut &*  
VIRIS


*Nobilissimis, Prudentissimis, Spectatissimisq;*  
DN. JOANNI WEISSE, Consuli Wait  
lingensi, Parenti suo optimo.

DN. GEORGIO CHRISTIANO FISCHER  
Archigra<sup>m</sup>ateo Waibling. Affini suo honorando.

DNN. M<sup>a</sup>c<sup>e</sup>n<sup>a</sup>tib<sup>u</sup>s, Patronis atque Everget  
*Suis omni venerationis cultu prosequendis,*  
In ulteriorem sui studiorumque suorum commendationem  
Specimen hoc Academicum

*Devota mente*  
D. D. D.

JO. CHRISTOPHORVS WEISSE, Au<sup>d</sup>



## Proæmium.

**N**ulta sane sunt , quibus embryo matrici , velut ergastulo inclusus a primo conceptionis momento , usque dum perfectus & liberioris auræ indigus in lucem prodeat , ab homine extra uterum vivente differt . Ut enim taceamus animæ operaciones , utpote quæ , nisi illam domicilium suum truere velimus , obscuræ admodum sunt , si corporis actiones de quibus potissimum hic sermo nobis est , tum vitales tum animales paulo accuratius consideramus , primis puta mensibus vel nullæ peraguntur vel saltem adeo debiles istæ sunt atque seignes , ut functionum titulum vix mere-

A

antur.

antur. Id quod mirari desinet, qui animo concipit, organa illo adhuc tempore valde imperfecta esse, quæ non tam partes, quam partium rudimenta merito dixeris. Et grandiore licet facto fœtus corpusculo, nihilominus multis hæ parasangis ab illis adultorum discrepant. Occurrit namque tenerima viscerum æque ac musculorum ossiumque textura, occurrit etiam notabile circa thymi existentiam, renum succenturiatorum figuram & usum, nec non circa aliarum partium magnitudinem discrimen. Præ aliis vero hic allegari meritur, quod fœtus in angustis uteri limitibus ab aëris liberioris commercio remotus non respiret, proinde pulmones otiosi sint atque ferientur. Hinc, quia hi in homine nato sanguini non parum promovendo inserviunt, fieri non potuit, quin liquor hic vitalis longe aliam in fœtu quam in adulto viam incederet, & extraordino-  
rio huic circulo peculiares etiam ductus  
desti-

destinarentur. Quæ circulationis differentia intimorem paulo considerationem meretur , id quod præsenti Dissertatione præstare pro viribus conatus sumus. Evidem abstrusum adeo est hoc negotium , totque difficultatibus laborat , ut animum a suscepto labore deterrere facile posset , vel eam quoque ob rationem , quia , non dicam rara sed rarissima fœtum in utero latentem perlustrandi occasio se offert , ideoque experimenta illud illustrantia magna ex parte nobis deficiant. Attamen quia hoc argumentum sapientissimi naturæ Opificis providentiam rimandi pariter ac admirandi uberrimam nobis materiam præbet , nonnullas de illo theses in chartam conjicere animus nobis est , ait Deus , ut feliciter !

§. 1.

**N**limine statim occurrit triplex controversia decisu ardua , quæque multorum ingenia non parum torsit , quarum prima est , quam nam in utero vitam fœtus agat , secunda , quomodo ergastulo huic suo inclusus nutritur ,

tur, & tertia, an detur reciproca quædam sanguinis  
fœtum inter & matrem circulatio. Primam quæ-  
stionem quod attinet, illam non intelligimus de pri-  
mo conceptionis tempore aut etiam de illo, quæ  
conceptionem præcedit, utpote quo vel non vivere  
rudimenta in ovulo latentia, vel non nisi vitam plan-  
tæ agere dici possunt, sed potius de illo, quo par-  
tes paulo magis evolutæ & perfectæ sunt, seu quo  
vitales functiones jam peragit embryo. In diversissi-  
mas autem sententias hic abeunt naturæ scrutato-  
res, aliis communem; aliis vero propriam eidem  
vitam assignantibus; illorum argumenta sunt, quod  
embryo matrici arcte adhærens veluti pars materni  
corporis considerari debeat (contra quod falso adscri-  
ptus Galeno libellus: *an animal sit id, quod in utero est, dis-  
putat*) dein quod ille, si non omnem maximam tamen  
nutrimenti partem ab hoc mutuetur, nec non quod  
matre mortua fœtus diu superesse non possit, deniq;  
quod hic varias ab istius affectibus impressiones, cu-  
jus exempla quotidie nobis obvia sunt, recipiat, vid.  
*Malebranci Tr. de inquir. verit. l. 2. part. i. cap 7.*  
Qui vero propriam foetui vitam adscribunt, in pa-  
trocinium opinionis suæ allegant, tum quod perfe-  
ctior redditus motus suos speciales, eosque vitales  
& manifestos peragat, tum etiam quod suis in offi-  
cinis proprium succum & sanguinem elaboret, vid.  
*Guil. Harveum de gener. anim. exerc. 34.* tum denique  
quod plura fœtuum posthumorum, secundo demum  
aut tertio post matris obitum die exclusorum ac vi-  
ventium exempla prostent. *E. N. C. Dec. IV. Obs. 83.*  
& 121. Nobis in hac rerum obscuritate, quam vi-  
ull:

ulla experimenta illustrare possunt, verosimile videtur, embryonem in utero propria vita gaudere, nam quæ hanc suadent argumenta firmiora sunt, quam ea, quæ contrarium affirmant. Et licet illud a consensu matris cum embryone, ut & impressiōnibus tenello corpusculo communicatis desumptum suo robore non destituatur, vitam tamen huic cum illa communem arguere nobis non videtur. Conf. Nymmanni *Diss. de vit. fæt. in utero.*

### §. II.

Controversia secunda magis intricata est quam prima, ideoque olim & nostra memoria inter Physicos ultro citroque agitata, qua nimirum ratione & quibus viis fœtus in utero existens nutriatur. Equidem illam nostram non facimus, utpote quibus sufficit probasse, aliquid etiam nutrimenti cum sanguine per vasa umbilicalia ad fœtum deferri. In tres autem potissimum sententias abeunt abstrusi hujus negotii indagatores, aliis unice per os a colloquimento seu lympha in membrana amnio contenta, aliis non nisi per umbilicum, aliis deniq; per utramq; viam nutritionem fieri contendentibus. Singulæ hæ opinions nullo non tempore suos invenere Patronos, quorum argumenta Isbr. Diemberbroeck. Anat. l. I. c. 31. & Christ. Joh. Langius Physiol. §. 39. prolixè recensent. Primæ favent Charletonus, Entius, Everhardus, Courveus aliique multi, quos secutus esse videtur Petr. Stalpart. van der Wiel *Diss. de nutr. fæt.* & Cl. Bergerus Tr. de natur. hum. c. 2. l. 2. Secundam amplexata est universa ferme Veterum schola, ut ut Hippocrati ultima magis arrideat, uti patet e l. de

carn. & nat. puer. id quod multis ostendit Segerus  
Diff. de Hipp. orth. doctr. de nutr. fæt. in uter. In illius  
castra Recentiorum non pauci transeunt, statuendo  
embryonem in utero primis mensibus non nisi per  
umbilicum, ultimis vero etiam per os nutrir. Nobis in hoc opinionum divertio si quid judicare li-  
cet, verosimile videtur, nutritionem fœtus, quæ  
per os fit, negari non posse, neque tamen illam,  
quæ per vasa umbilicalia contingit ideo rejici de-  
bere, facilique negotio argumentis, quæ contra il-  
lam in medium proferuntur, responderi posse. Nam  
si toto gestationis tempore per os alimentum unice  
assumeret embryo, major meconii portio in intesti-  
nulis occurrere deberet, quam re ipsa reperitur, idque  
tanto magis, quo magis probabile est, aliunde etiam  
aliquid eo deponi. Neque nutritionem per vasā  
umbilicalia convellunt exempla fœtuum absque  
eiusmodi vasis natorū, qualia allegant Stalpart  
*van der Wiel Cent. 2. part. pr. Obs. 32.* & Eph. N. C. pas-  
sim, utpote quibus opponimus alia ἀνεφάλων, aut  
etiam ore clauso natorū, quæ nutritionem per os  
pariter ambiguam reddere videntur. Non etiam  
valet ratiocinium istud; fœtus nutritur ante vasorū  
umbilicalium existentiam, ergo nutritio non fit  
per umbilicum, idem enim in Patronos contrariæ sen-  
tentiae retorqueri potest, illa quippe non minus ante  
oris formationem peragitur. Et hoc potissimum fœtū  
per umbilicum etiam nutrir, nobis persuadet, quod  
per insigne temporis spatium nutriatur, cum tamen  
organa alimentorum per os assumptioni & distribu-  
tioni dicata nondum elaborata sint, ut &, quia con-  
jicere

jicere licet, materiam nutritiam per arterias ad uterum delatam æque facile a tubulis placentæ absorberi, ac per alios meatus in amnii cavitatem transmitti posse.

### §. III.

Nutritionem itaque per umbilicum non tam stabilire videtur, major sanguinis ad uterum affluxus & inde orta vasorum intumescentia tempore imprægnationis magis quam alio conspicua, quippe quæ nutritioni, quæ per os fit, æque favent, quam insignis vasorum placentæ apparatus, ut & arcta horum cum matrice cohæsio, nec non insigne sanguinis ex hac stillicidium, ubi hepar uterinum in partu separatur, vid. *Mem. Acad. Reg. Sc.* 1708. p. 244. In hoc vero non omnes convenient, utrum hæc per umbilicum nutritio fiat mediante sanguine, an vero succo chyloso aut gelatinoso, vel per vasa lactea ad uterum advecto, vel per arterias eo delato & in glandulis ejus sequestrato. Vias lacteas quod spectat, sunt quidem, qui illas suspicantur, uti *Diemberbroeck. Anat. l. I. c. 29.* quia tamen illæ nondum satis detectæ & accurate descriptæ sunt, de earum existentia merito dubitamus. Hinc aliis & potissimum *Gualt. Needham. Diss. de format. fœtu* (qui contra *Everhardum* solide hac de re disputat,) magis arillet liquoris nutritii a sanguine arterioso secretio, vel, iti *Frid. Ruyschius* loqui amat, mutatio, de qua duum nullum superesset, si in matrice muliebri glandulæ æque occurrerent ac in brutorum animalium, uminantium potissimum, utero (notante *Needhamo* male cotyledones in omnibus vocatae) ex quibus

bus compressis succas lacteus manifesto exilit. Quibus tamen contraria esse videtur autopsia Joh. Mery Hist. Ac Reg. Sc. 1706. p. 27. qui in una vel altera aliquot post partum horis extincta nulla ejusmodi organa se observare potuisse affirmat, cui assentitur Frider. Ruysschius Thes. Anat. V p. 27. Fatemur interim non parum roboris huic opinioni conciliatum, nondumque hunc Gordium unico iectu, non quidem gladii, sed oculi solutum iri, si minutissimi è placenta orti surculi succiferi, ut & ductus peculiares, quos in funiculo umbilicali microscopii ope à se detectos depingit Godofr. Bidloo Tab. 60. & Joh. Munnieks de re anat. multis describit, ab aliis pari facilitate & felicitate conspicerentur. Si namque aliorum etiam oculis paterent hi tubuli, succum nutritium non in cavitatem amnii, sed ad fœtus umbilicum illos devehere declararent Quicquid autem sit, quamvis & glandulæ uteri & ductus hi peculiares funiculi in medio rerum nondum satis exploratarum relinquenda sint, verosimile tamen nobis videtur, materiam nutritiam dupli via cum per os, tum per umbilicum embryoni affluere eandemque si non omnem, ex parte tamen una cum sanguine materno ad uterum, inde ad placentam amandari, in qua sanguini venæ umbilicali comixta per hanc ad fœtus hepar & corculum progeditur, eodem modo ac chylus in adultis sanguin venæ subclaviæ affusus ad cor pergit. Illam autem lympham esse roscidam, gelatinosam, colliquamento in amnii membrana contento perquam similem facile largimur.

## §. IV.

Iisdem ferme rationibus nonnulli censem evinci posse mutuam sanguinis circulationem inter matrem atque fœtum , ut nimirum hic liquorē illum vitalem ab ista recipiat & vice versa eundem rursum ad ipsius corpus transmittat. Posita enim , inquiunt , vasorum uteri & placentæ communicatione , positis etiam utriusque hæmorrhagiis post factam hujus ab illo blanda etiam manu separationem , concipere vix licet , quin humor hic ex uno corpore in alterum transeat ; cui addunt , quod , uti placenta ea parte , qua matrici adhæret , membranis destituta est , ita etiam parietes uteri interiores nulla investiti deprehendantur in iis , quæ aliquot post partum horis cultro Anatomico subiectæ fuerunt , id. *Hist. Acad. R. Sc. 1706 p. 27.* ut & quod fœtus intra uterum a compressione funiculi umbilicalis paulo post suffocetur non tam ob defectum nutrimenti , quippe quo diutius carere potest , quam aëris , qui sanguini materno immixtus ad tenellum fœtus corpusculum continuo progredi opus habet , id quod inde probatur , quod , ubi jam caput foras exeruit , non que moriatur , funiculo hoc compresso . Idem porro probatum eunt ex eo , quod fœtus primis mensibus sanguificationis opus nondum exercens nulum sibi proprium humorem progenerare valeat , neque organa , assumptioni liquoris in amnio contenta identinata , ea perfectione gaudeant , ut nutritio per os oculum habere possit , istum proinde opus habere , ut suum a matre alimentum emendicet , sanguinem muta , ab hac ad corpus ejus transferendum . Quam

maxime vero reciprocum hunc sanguinis circulum confirmare videtur Observatio peculiaris *Dn. Mery*, qui in muliere quadam imprægnata, partuque proxima quæ dimidia post casum ab alto hora mortua est non solum propria ipsius vasa sanguifera, sed & illa fœtus tota quanta liquore hoc vitali exhausta deprehendit, nullo alio vulneris aut contusionis vestigio apparente, placentaque utero firmiter adhuc affixa. In quo porro casu nullus sanguis vel in fœtu, vel in hepate uterino, vel etiam in matrice extravasatus, sed omnis in cavitatem abdomini materni effusus erat.

### §. V.

Sed non paucos hoc placitum adversarios habet & nuper demum (uti *Eph. Gall. 1712 Mens. Febr. fidei nobis faciunt) Dn. Falconet* magno conatu illud convellere tentavit, asserendo, nullas dari vias haec tenuis cognitas, per quas sanguis vel a matre in fœtum vel ex hoc in illam ferri possit, siquidem in placenta nulla vasa hiare, neque ullam sanguinis guttulam ex illis extillare, & quod uteri vasa attinet illa primo graviditatis tempore occlusa magis esse quam ullo alio, aut, si aperirentur, hæmorrhagias perpetuas inde proventuras esse. Et, ut suæ opinioni pleniores assensum conciliet, observatione *Dn. Mery* aliud opponit experimentum in cane grava factum, in qua exhausto licet omni sanguine catuli nihilominus suo liquore non privati conspiciabantur. Nos, ut nostra quoque cogitata hac dñe aperiamus, quamvis non in omnibus assentiamur rati-

rationibus *Dn. Falconet*, fatemur tamen, nos amplecti non posse hanc de mutua circulatione sententiam plures ob difficultates, quibus laborat. Sic quod spectat experimenta allegata, illud *Dn. Mery* hunc titulum vix meretur, quia Experientia est cognitio rerum pluries uno eodemque modo factarum; &, quod in proverbio alias dici solet, uti una hirundo non facit ver, ita neque unica observatio experientiam. Illud vero *Dni Falconet* plus una vice in animalibus brutis tentavimus, hoc quidem cum successu, ut nunc magis nunc minus sanguinis in corpusculo suo fœtus aluerint. Cui de mutuo circulo sententiæ refragari etiam videtur nutritio pulli in ovo, qui omne alimentum in sinu suo fovet, neque ullum a matre vel incubante volatili inmutatur, uti præter experientiam *Harveus Exerc.* §8. id ipsum prolixè dedit; verum quia in animalibus viviparis quoad alia multa (inter quæ non ultimum est arcta placentæ cum utero cohæsio) longe alter se habet hoc negotium, ideoque ab illis ad hæc concludere non licet. Quæ porro de anastomosi vasorum uteri & placentæ, item de defectu membranæ in hac, qua matrici adhæret, in medium profertunt; iis respondebimus infra §. 12. Quod denique attinet suppositum, quo embryonem nullum sibi proprium sanguinem progenerare posse, sed non nisi materno ali volunt, illud a multis jam abunde, & præ aliis ab *Harveo de gener. animal* passim refutatum est.

## §. VI.

Quam incerta autem & dubia adhuc sunt ulteriorique indagationi committenda, ea quæ de nutritione fœtus diximus, tam certum & extra omnis controversiæ aleam positum est, circulum sanguinis, qui in embryone peragitur, multum differre ab illo, qui celebratur in adultis. Cujus rei præcipua ratio esse videtur, quod embryo, quamdiu in ergastulo suo, nempe utero materno membranisque inclusus latet, respirationis usu haud fruatur, id quod præter alia ex ipsis organis respirationi inservientibus facile colligere licet, utpote quæ, notante *Pechlino de aér. Et alim. def. c. 8.* in multis diversa sunt ab illis adultorum, diaphragma quippe quam maxime reductum est, pulmones collapsi, compactiorisque texturæ destituuntur colore illo vesiculari, qui *τεφάδης Hippocrati* nostro dicitur, & omnibus rite comparatis, aquæ immersi, longe abest ut supernatent, quin potius fundum petant, ita ut pauci nostro tempore reperiantur, qui fœtui respirationem affingant. Qui vero illam assertum eunt, ad quos referri meretur *Gualt. Charleton. Oecon. anim. Diss. VIII.* probare istam conantur 1. a vagitu, quem non raro ab hospite matricis exaudiri clamitant, cujus exempla vide *Bartholini Hist. Anat. Cent. I. Obs. I. Et E. N. C. passim.* Qui tamen nihil aliud est, quam vel borborygmi aut murmura intestinorum, vel si vox est infantis non nisi respirantis esse potest, aut in partu constituti, aut etiam ruptis membranis aërem in muliebrem sinum irruentem spirantis. 2. illam adstruere volunt a suetione fœtus, 3.

ab eis in utero positura , 4. a pullo intra ovum pipiente. Quæ omnia tamen infirma nimis sunt, quam ut hanc nobis actionem persuadeant. Dum autem fœtui in utero existenti respirationem ordinariam non concedimus, illum ideo omni aëris usura privare nullo modo volumus , afferentes potius, non parvam illius quantitatem ad eum transmitti, non vero per istas vias , quas , utpote valde extraordinarias *Petr. Stalpart van der Wiel. c.* sibi concipere mirari satis non possumus , dum putat aërem e matris gravidæ pulmonibus per diaphragmatis uterique poros ad placentam penetrare , eum in finem, ut sanguini ibidem misceatur. His enim positis, quid impedit , quo minus mater extra imprægnationis tempus eodem modo respiret , quod tamen ab omniratione alienum est. Regia potius via cum Cl. *Verheyenzo* incedamus , veritati consentaneum existimante, fœtum in utero, quamvis respiratione careat, tali materia, qualem respirantes ex aëre haurimus, nunquam destitui , sed respirationis defectum in ipso aliundē compensari, idque mediante alimento, quod particulis aëreis imprægnatum ipsi a matre subministratur.

### §. VII.

Cum itaque pulmones in subiecto, de quo nunc agimus, otiosi sint, nullumque, uti in adultis, publicum usum præstent, qui præter alios etiam est , sanguinis circulationem continuare, non potest non sequi, quin ixor iste longe aliam in illo quam in his viam ingrediatur. Ubi revereri satis non possumus summam Cœreatoris providentiam, qui hanc ob causam singu-

lares quosdam ductus, eosque, ut Cl. Bergerus loquitur, temporarios effinxit, quorum beneficio sanguis a pulmonibus arcetur, excepta exigua ejus portione, quem in finem humor hic alimentarius magna ex parte hæc organa præterlabitur, ne ad illa delatus & cessante illorum actione non promotus accumuletur, & gravia post se incommoda trahat. Annotari porro meretur, eundem Naturæ Opificem non minori providentia sanguinis iter breviare, neque omnem per utrumque cordis ventriculum & utriusque generis vasa propellere, sed partiri vias voluisse, ut dextrum cordis sinum ingressus sinistrum præterlaberetur, & ad sinistrum properans in transitu dextrum non salutaret, hinc ille qui in vena cava inferiore fluit, statim in pulmonalem, (Veteribus arteriam venosam dictam) & qui per arteriam pulmonalem (Iisdem venam arteriosam vocatam) propellitur, magna ex parte in aërtam transit. Quæ cum ita sint, vereor, ne contrariam habeat providam hanc naturam supra laudatus Dn Mery; longe enim abest, ut hic viarum brevitati studeat, quin potius illas longiores sibi aliisque persuadeat, dum unum eundemque sanguinem bis per alterutrum cordis ventriculum circulare facit, consenteat, an invita autopsia, inferius examinabimus.

### §. VIII.

Quod si itaque pro extraordinario hoc sanguinis circuitu perpetrando natura etiam vias peculiares fabricavit, brevem illarum descriptionem Anatomicam respectu ad circulationis leges habito præmitte-

mittemus, earundem usus dein subjuncturi. Ex innumeris placentæ uterinæ ramificationibus exsurgit funiculus umbilicalis, in homine unicum tantum venam & duas arterias complexus, qui canales, quamprimum abdomini fœtus inseruntur, a se invicem recedunt, inque diversas abeunt partes, vena quippe sursum reflexa & ad hepatis fissuram properans, in sinum venæ portæ manifeste hiat, e quo alias ductus peculiaris a *Franc. Glissono* accurate descriptus, in venam cavam exporrigitur. Quod si altius ascendimus, occurrit circa finem venæ cavæ inferioris potissimum prope auriculam dextram foramen, intermedio hujus & venæ pulmonalis parieti insculptum, per quod sanguis ex una in alteram transire facile potest, huic adstat valvula membranacea sati firma, de cuius situ & usu dicendi occasio inferius nobis succrescit. Par ratione ductus alias inter arteriam pulmonalem & aortam medius, itidem arteriosus, atque a *Botallo* primo ejus detectore nomen habens, oculis curiosioribus se sistit, quo mediante duæ hæ arteriæ coire atque in se invicem hinc revidentur. Denique non omittendæ sunt arteriæ umbilicales, quarum duæ ab iliacis, frequenter eo loco, ubi in externam & internam dispescuntur, propullulant, juxta latera vesicæ urinariæ ad umbilicum ascendentes. Recensitos hosce canales fœtui proprios esse atq; peculiares ex eo quam maxime patet, quod, qui in illo aperti fuerant, ampli & hiantes, in adultis claudantur, obliterentur aut in ligamenta exilia abeant.

## §. IX.

Priusquam circuitus hic sanguinis prolixius describatur, viæ in fœtu peculiares paulo intimius inscriendæ & examinandæ sunt, ita quidem ut solertissimorum naturæ Indagatorum descriptiones partim, partim propriam autopsiam in medium proferamus. In quo examine primo se loco sistit vena umbilicalis, de cuius principio & insertione non parum disceptant. Illud quod attinet, alii a placenta uterina, alii a vena portæ in hepate latente natales ejus deducunt. Hujus opinionis Courveus est, qui nihil per hoc vas e placenta, sed contrario cursu ex hepate quid in illam ferri autumat, & si ad mentem *Diemberbroeckii* hanc ejus originem respectu suæ productio-  
nis aut generationis intelligimus, hoc venæ umbili-  
calis principium admitti potest. Quod si vero san-  
guinis motum attendimus, longe aliter de vasorum  
origine & insertione loquendum est, eadem ratione  
ac *Harveus* venam cavam a corde produci quidem,  
ideo tamen liquorem vitalem ex hoc in illam  
non propelli ait. Cum autem hic loci præstet ter-  
minos hosce respectu ad circulationem habitu defini-  
nire, affirmamus hanc venam oriri in hepate uteri-  
no, in quo cera prius per siphonem injecta plures ra-  
diculas a pariete uteri, cui placenta adhæserat, divul-  
fas, inque ramos majores abeuntes annotavimus, qui  
per illius superficiem, qua fœtum spectat, repunt, atque  
omnes & singuli in unum truncum coëunt partem  
funiculi constituentem. Et cum hic funiculus non ex  
centro placentæ exsurgat, hi rāmuli uno in loco lon-  
giores, in altero breviores sunt. Istud vero non mi-  
nus

nus notatu dignum est, quod multæ etiam radiculæ venosæ ex chorio manifestius quam ex amnio eo pariter ferantur. Truncus deinde arteriis utrinque stipatus ad umbilicum, hocque perforato factoque ab arteriis divortio inter duplicaturam peritonæi ad fissuram hepatis properat, ligamento suspensorio & capsulæ *Glissonei* ibidem annexus, inde venæ portæ implantatur, in qua etiam (uti *Veslingius* & commentator ipsius *Blasius* bene annotarunt) desinit, quamvis sint, qui istum in cavam usque deducunt. Sic *Verheyenius* partim in vena portæ, partim in vena cava ordinarie, & *Marchettus* extraordinarie illam radicari asserunt, sed qui hoc faciunt, venam umbilicalem cum ductu *Glissonei* confundere videntur. Interim non diffitemur, non adeo manifestam esse hanc insertionem ac in aliis venis, hinc dijudicatu paulo difficiliorem, concurrunt enim in exiguo quodam loco vena umbilicalis, sinus venæ portæ, vena cava & ductus *Glissonei*. Cui accedit, quod ductus extraordinarii & fœtui proprii ampliores sint & magis dilatati quam reliqui, id quod non paucos fecellit. Rarioris ejus insertionis exempla vid. *Mem. Ac. R. Sc. 1709. p. II.*

### §. X.

Valvulas in hac vena nullas observare potuimus & que ac in reliquis infimi ventris, sanguis enim in illa restitans ultro citroque pro lubitu propelli potest, & (quod non parum hanc rem confirmat) flatus immissus pariter ac cera injecta sine ullo obstaculo vel versus fœtum vel versus placentam transit, id quod nullo modo succederet, si ejus-

modi organa obicem ponentia in illa existerent. Id quod etiam intelligimus de illa venæ parte, quæ prope placentam in ramificationes abit, in qua tamen nonnulla valvularum indicia superesse Hobokenus de secund. hum. p. 30. asserit. Vena hæc arteriis amplior est in fœtu humano, pennamq; anserinam facile admittit (in vitulo nunc crassitie æqualis, nunc major, nunc etiam minor pro diversa fœtus maturitate vid. Hoboken. de secund. vitul.) medioque inter illas tramite incedens, varioso flexu fertur ad umbilicum, eandem per totum sui decursum capacitatem servans. Simplex etiam est in homine non modo in abdominis cavo sed etiam in funiculo, securus ac in plerisque animalibus brutis, e. g. in funiculo canis & vituli duplex, triplex in felis abdomen, quarum prima consueto more ad hepar, secunda juxta ventriculum & duodenum ad venæ portæ truncum, tertia vero ad centrum mesenterii & pancreas Aselii pergit, hocque perforato mesaraicis implantatur, quam ultimam alii rectius pro vase lymphatico habent. Et hæc procul dubio sunt nova illa vasa a Dn. Daverney omphalo-mesenterica dicta & accurate descripta Mem. Ac. R. Sc. 1700. p. 220. hoc cum discrimine, quod laudatus modo Author ultimum ad arteriarum familiam referat. Ex his uti ex aliis abunde patet, quantum discrimen intercedat inter autopsiam, quæ ex homine, & inter illam, quæ ex brutis animalibus hauritur, uti etiam inter eam, quæ in homine frequens, constans & ordinaria est, & quæ nonnisi rara atque extraordinaria dici meretur.

## §. XI.

Venam umbilicalem ordine quidem non sequuntur

tur arteriæ ejusdem nominis , quia tamen perpetui illius in funiculo comites existunt , etiam in tractatione nostra vasa hæc conjungere non incongruum erit. Sunt autem ordinaria naturæ lege numero duæ (inter rariora namque referimus , si unica tantum occurrit , uti in *Hist. Ac. R. Sc.* 1709.) sitæ utrinque a latere venæ , magis albicantes & flexuoso magis ac hæc ductu decurrentes , de quo *Ruysch. Thes. V.* *Tab. I.* & *Hoboken. de Sec. hum.* passim. De earum principio & insertione non omnes pariter conveniunt , alii quippe illud circa finem arteriæ aortæ collocant , id quod in vitulo solenne est , alii in iliacis internis paulo infra earum cum externis divaricationem , uti id nuper vidimus , alii vero illo in loco , ubi iliaca hæc interna ab externa abscedit , quæ sententia est *Verheyenii*. Ultimus hic exortus ~~as in~~  
~~re~~ occurrit , hoc ipso tamen non negamus , duos priores nonnunquam etiam locum habere , ut pote quos non latet , uti circa alia ; ita etiam circa hæc vasa mirum quandoque naturæ lusum deprehendi. Progreditur utraque inter duplicaturam peritonæi ascendendo juxta latera vesicæ & urachi , atque sub abdominis musculis per umbilicum extra corpusculum pergendo ; associatur venæ umbilicali , cum qua per totam funiculi longitudinem , quæ ulnam præter propter Argentinensem æquat , inde ad placentam fertur , ibique in plures primum , dein infinitos surculos dividitur , qui propagines venæ pluribus in locis decussant , non paucos etiam in transitu membranæ chorio , ut & amnio impertiens ; non recta decurrunt hæc vasa , uti in aliis corporis locis , sed

serpentino ductu, præcipue ubi per placentæ superficiem repunt, pari modo ac in arteria splenica idem frequentissime reperitur. Aliquas ipsis valvulas tribuit in ipso etiam funiculo *Courveus*, quas naturam horrere *Drelincourtius de fæt. hum. umbil. p. 19.* ait, habet tamen ille consentientem *Hobokenum de sec. hum. artic. 6.* qui non veras quidem valvulas, sed aliquot tunicæ laxioris plicas curiosorum oculis sistit, ne sanguis per illas nimio cum impletu ad placentam feratur, aut versus umbilicum regurgitet. Contrarium tamen probat injectio ceræ, quæ ex una in alteram & a ramulis in truncum sine ullo obstaculo transit. Præterea plerumque inæqualitates tam in his vasis quam in venis observantur, nodulos præ se ferentes, quæ varicibus prægnatum similes eandem etiam causam agnoscere videntur. De quibus ut & augurio, quod superstitione obstetriculæ ab eorum numero arripiunt vid. *Mauriceau de Morb. gravid. l. 2. c. 4.*

## §. XII.

Et hæ arteriæ pariter ac vena, si non omni, maxima tamen ex parte hepar uterinum constituunt, ita ut illud nihil nisi compages vasorum sanguiferorum esse videatur, uti *Frid. Ruysch. Thes. III. p. 54. V. p. 9. & 36.* operose contendit; texturæ lienis perquam similis est ipsius fabrica, hinc etiam eadem ac ille ratione suo parenchymate (ad Veterum menitem loquor) exui potest, præter quod paulo firmior & tenacius adhærens observetur. Hisce ingentem fibram & filamentorum numerum intertextum esse præ-

præter Needhamum *Tr. de form. fæt.* autopsia abunde declarat, interspersis hinc inde fibrillis nervis, conf. *Eph. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. Obs. 40.* E quibus venas utero adhærere supra §. 3. diximus, interim tamen illam cohæsionem intercedente quadam substantia membranacea fieri, neque vasa placentæ & uteri sese insulari aut succum nutritium illis immediate infundi putamus, quæ Antiquorum opinio est, contra quos strenue pugnat *Stalpart van der Wiel Diss. cit.* Sed statuimus potius, uterum humorem nutritium imbibere & postea in placentæ venas transmittere. Probatur autem hæc vasorum cum matrice connexio experimento, quo liquor quidam aut cera colorata per siphonem venæ umbilicali injecta semper illo in loco, ubi duæ hæ partes sibi invicem jungebantur, per plura ostiola erumpere conspicitur. Præter has partes placentæ assignatas (si forte ductus succiferos excipias, de quibus supra §. 3.) vix alias Recentiorum hactenus industria, quanta quanta fuit, detegere & stabilire potuit, hinc quas nonnulli adeo crepant in hoc viscere glandulas, *Frid. Ruyschius*, cuius oculis vere lynceis pauca aut nulla alias sese subtrahunt, audacter negat.

### §. XIII.

Sequitur vena quædam specialis Ductus seu Tubus venosus Recentioribus dictus, cuius accuratam historiam *Glissono* debemus, unde multis ductus Glissonianus appellatur. Hunc Author laudatus *Tr. de hep. c. 25.* his verbis describit; In embryo etiam facile vides tubulum venosum ex sinu

portæ (fere ex adverso ostii venæ umbilicalis) incavam recta immitti. Tubus iste, pergit, est ejusdem texturæ cum vena, & ramificatione solum destituitur, qua reliquæ omnes venæ gaudent. Ideoque non male a quibusdam dicitur canalis venosus ad exemplum arteriosi illius, qui cordi proprius est. Conspicitur ille a latere lobi minoris *Spigelii* prope diaphragma, & quamvis ejus exortus venæ cavæ e diametro oppositus non sit, istud tamen non impedit, quo minus aér, sanguis aut etiam stylus per hanc in illum facili negotio transeat. Autopsia porro nos docuit, intercedente portæ sinu inter venæ umbilicalis terminum & principium tubi venosi angustius, disternantibusque hæc fibris aliquot transversis, ipsum hunc tubum pergere in venam cavam eo in loco, ubi ex hepate egreditur, nec non diaphragmati annexitur, ita collocatus, ut inter duorum hepatis lborum substantiam, qua concava ejus pars est, minus profunde jaceat, qua convexa existit; removeri itaque illa hepatis pars debet, sed caute cultello, quo in conspectum ille veniat. Substantia ipsius tenuior apparet quam illa portæ aut etiam cavæ. Longitudine sua ultrapollicem transversum non exporrigitur, amplius tamen est & satis capax, atque ita situs, ut quemadmodum jam innuimus sanguis recta & regia veluti via in illum & per illum ad cavam feratur.

## §. XIV.

Ductus venosus nos deducit ad foramen ovale a figura ita dictum, quod eo majori cum industria examinandum est, quo certiores de ejus situ, de-

terminatione ac usu ob lites circa illud ortas reddi cupimus. Declarat autem sectio embryonum, hoc foramen situm esse altera sui parte inter inferiorem & superiorem venæ cavæ truncum infra tuberculum, quod primæ ejus divisioni adjacet, talem tamen determinationem habere, ut ad illum magis quam ad hunc pertinere videatur; altera vero ad extremitatem venæ pulmonalis, sinistro cordis thalamo vicinam, seu rectius inter auriculam dextram & venam pulmonalem, ita ut hac anastomosi vena cava inferior in hanc immediate hiet. Formatur e duobus circulis, quorum alter a latere dictæ auriculæ, alter vero a latere venæ pulmonalis conspicitur, sibi invicem ex parte superincumbentibus, & sinuositate sua foramen in medio relinquenter. Amplitudo ipsius in foetu partui proximo tanta est, ut digitum minorem facile admittat, qua etiam aortam ejusdem individui paululum superat, estque illa minor ea parte, qua venam pulmonalem quam qua cavam spectat; sede sui superna limbum habet insignem, qui impedit, ne sanguis per cavam ascendens ad superiora evagetur, inferna planiore existente & facillimum illi transitum præbente. Prætenditur ipsi valvula figuræ semilunaris, membranacea sed firma & foramine major, quæ sibi relicta illud magna ex parte, dilatata vero & orificio probe applicata totum occludit; situs hujus bene attendi metetur, illa quippe affixa non est in illo foraminis latere, quod cavam spectat, sed in opposito, nempe quod venam pulmonalem & auriculam cordis sinistram respicit, & quidem sedi ejus inferiori, ita ut in pro-

patulo sit, foramen hiare in venam pulmonalem & sanguinem per illud in hanc facili negotio & quasi sponte sua transire, non vero contraria via ex hac in dextrum cordis ventriculum regurgitare posse. Comparari potest hæc valvula aulæis ad fenestram positis, quæ vento in hypocaustum irruenti facile cedunt, non item illi, qui ex eodem exire conatur.

### §. XV.

Altera unio vasorum in corde foetus fit per tubum seu canalem arteriosum, qui ab Inventore suo Leonh. Botallo nomen adeptus est; scripsit hic Author pecul. Tr. de via sang. a dextro in sinistrum cordis ventriculum. Situs autem est hic tubulus in foetu circa initium arteriæ pulmonalis prope ejus e corde egressum, antequam hæc arteria in ramum dextrum atque sinistrum dividitur; præ se fert substantiam & crassitatem fere reliquis arteriis, ut & modo dictis ramis admodum similem, adeo ut arteria pulmonalis in tres ramos divisa dici possit, quorum duo ad pulmones feruntur, tertius vero canalem, de quo sermo nobis est, constituit. Hic propullat a sede ipsius superna, illi vero magis ab inferna. Ejus capacitas insignis est & major quam unius ex illis, ita ut facile decipi quis possit, illum pro ramo arteriæ pulmonalis habens. De qua porro bene annotat Dn. Needham quod eo in loco, ubi ab arteria pulmonali emergit, multo amplior sit, quam ubi aortæ implantatur; unde facile colligitur, sanguinem ex illa in hanc, non vero contrario modo ferrum ordinaria naturæ lege in arteriis e tubulis ampliori

plioribus in angustiores feratur. Longitudine sua dígitum transversum vel æquat vel parum superat, longior tamen est in homine quam in animalibus brutiis, potissimum ruminantibus, cujus rei rationem reddit *Dn. Taurry l. c. c. 5.* desinit tandem in truncum aörtæ descendente, quo in loco versus inferiora incurvatur, declivi decursu & obliqua paululum insertione, quæ non multum ab aörtæ divariatione & exortu subclaviæ sinistræ distat. Interveniente hoc canali, arteria pulmonalis cum aörtæ trunco inferiore conjungitur & arctam communicationem habet in fœtu, quæ in adultis successu temporis aboletur, figuram ejus exhibit *Verheyenius l. 2. Tr. 5. Tab. 6.*

### §. XVI.

Perspectis jam breviter organis fœtui peculia-  
bus, usus eorum indicandus etiam est, utpote pro-  
pter quem istorum historias nexuimus. Ante omnia  
autem primum circulationis exordium, quantum si-  
eri poterit, explicandum est, quod cum Cl. Boh-  
nius *Circ. Anat. Prog. 2.* satis accurate explicuerit,  
liceat ejus verba huc apponere. In embryone, ait  
ille, formica minore circulum hunc inchoari, dum  
aura seminalis colliquamentum in ovulo contentum  
in motum ciet, attenuat atque expandit, utero re-  
ciprocis suis impulsibus ejus minima ostiolis venu-  
larum, quæ tanquam radiculæ insensiles in li-  
quore isto natant, intrudente, sub quorum cana-  
liculorum directorio corculi rudimento, quod pun-  
ctum saliens Harveo dicitur, colliquamenti partem  
adduci, hocque distentum ob aliqualem resistenti-

am contrahi; eaque ratione humorem affusum per arteriolas, utut legniter, propelli. Fluidum proinde illud albugineum, ubi varii itus & reditus aliquandiu ita excentur, sensim purpuram induere, rudimenta magis magisque evolvi & dilatari, organaque robustiora evadere. Interea temporis, cum, foetu grandiore facto, colliquamentum hoc non sufficiat, vasorum fibrillas e centro foetus emergetes, quæ libere haetenus liquori innataverant, utero adnasci, inque eodem adeo firmari, ut partem alimoniam ab illo quoque recipere possint, qui materiam nutritiam affluxus in dies augetur illaque a placenta imbibitur. Hepar namque uterinum tam terminum a quo, quam etiam ad quem sanguis in his subjectis movetur, constituit, siquidem extra controversiam positum est, liquorem vitalem ex illa per venam umbilicalem ad tenellum foetus corpusculum & ex hoc rursus ad istam per arterias ejusdem nominis deferri. De colliquamenti in sanguinem rubicundum mutatione adhuc notandum quod *Guil. Harveus de gener. animal. Exerc. 18. 51. & 55.* illam fieri contendat, antequam corculum a punctum saliens efformetur; cui assentiri videtur *Corn. Consentinus Progymn. VI. & Gualt. Charletonus de Oecon. anim. Exerc. IV.* locum, in quo sanguis primum generetur, membranam chorion esse arbitrati, negante idem *Velthus. de gener. cap. 9.*

### §. XVII.

Hujus itaque partis usus generalis cognitus sat is est, sed ubi ad speciales eorumque fines devenit

venitur, difficultates non leves occurruunt. Et primo quidem loco sese offert illa, an nimirum placenta, pulmonibus in fœtu feriantibus, horum vice fungatur, illaque materiam aëream in & cum liquore materno vel solum recipiat, vel ab eodem tantum, quantum ad alendam vitam necessarium est, sequestret. Affirmativam tuentur *Mayovv* & *Verheyenius*, qui ultimus *Tr. 5. c. II. & 18.* huic parti, quoniam insigni vasorum copia abundat, id eoque usum publicum habere videtur, affinem pulmonibus actionem assignat, cui contrarius est *Cl. Bergerus* ob rationes *Tr. de nat. hum. l. 2 c. 2.* adductas. Nos quamvis concedamus, magnam intercedere differentiam inter usum pulmonum in adultis & placentæ in fœtu, neq; ulla sanguinis recrumenta per arterias umbilicales ab eodem ad placentam devehi, attamen quia hæc non parum aëris a matre recipit, & sanguinem aliquo modo conquassare & promovere videtur, usus, illi pulmonum analogus, aliquatenus huic organo concedi potest. Quibus addimus, quod sanguis per frequentem in fœtu circulationem & post nutritionem particulis aëreis depauperetur, neque illa jactura eodem modo resarciri possit, uti id in adultis fieri observamus. Aëris hujus vehiculum ad matricem maternum sanguinem, ad placentam vero lympham nutritiam esse censemus. Secundo loco quæritur, num aliquid succi nutritii & qualem ab utero nanciscatur placenta. De illo nulli unquam dubitarunt, de hoc vero multum inter se disputant; ut autem prolixe non repetamus ea quæ §. 3. diximus, hic tantum mo-

nemus, partem materiæ nutritiæ, quæ liquori in membrana amnii contento similis est & fœtui destinatur, una cum sanguine materno ad uterum ferri, indeque a tubulis, quibus placenta cum illo cohæret, absorberi, qui nihil aliud quam surculi venæ umbilicalis esse videntur.

### §. XVIII.

Ex modo dictis jam liquet, usum venæ umbilicalis nullum alium esse, quam ut succum nutritum partim, partim etiam sanguinem tenellum ad embryonem transportet. Probatur ille vel a communī venarum officio, utpote quod est, sanguinem a partibus revehere, vel etiam a ligatura in medio umbilici facta, a qua illa ejus portio, quæ placentam respicit, intumescit, detumescit vero opposita. Quod si vero quæritur, qualis ille sanguis sit, num iste, tantum, qui a placentæ nutritione residuus est, an vero etiam aliis a matre suppeditatus, novæ iterum difficultates sese exerere videntur, hoc quippe affirmant illi, qui cruentum fœtui victum assignant, idem vero dissuadent rationes sequentes, 1. duplicit naturæ sanguinem iisdem in venis non fluere, 2. duas potius venas quam totidem arterias requiri ad duplam sanguinis portionem transvehendam 3. debere hoc vas tam arteriæ quam venæ munere eodem tempore fungi. Ad quas respondent, in oeconomia animali minus solenne illud esse, inde tamen non recte inferri, istud in fœtu locum non habere, quippe in quo plura ordinariis naturæ legibus minus conformia occurunt. Deinde regerunt, unicam hanc ve-

nam

nam æque , imo magis capacem esse , ac utramque arteriam , ut & venarum , non arteriarum munus esse , liquorem vitalem ad cor devehere . Addunt denique , posito etiam ductus illos Bidloianos omnium oculis patere , ideo tamen non videri , quomodo fœtus omni tempore per os nutriti possit , cum organa , assumptioni & distributioni alimentorum dicata , imperfecta diu sint , & nondum ita elaborata , ut muneri suo præesse possint . Quicquid autem sit , omnium facillime se extricant illi , qui hanc venam partim liquorem fœtus nutritioni destinatum , partim etiam sanguinem in placenta residuum innumeris surculis per totam ejus texturam disseminatis excipere , ad ramos majores deferre , atque per truncum hepatici & speciatim sinui venæ portæ infundere opinantur .

### §. XIX.

Jam vero sanguis in venam portæ depositus non intimam hepatis substantiam intrat , adque ejus glandulas appellit , sed potius immediate per tubum venosum *Glissoni* transit in venæ cavae truncum inferiorem , eodem modo quo aquæ marinæ nonnullis in locis per angustum quoddam fretum in aliud mare decurrunt . Non autem recto tramine , sed paululum obliquo in illum fertur , id quod obliquus hujus canalis situs innuere videtur , cuius rei rationem subtilem *Dn. Taurry l. c. c. 5.* allegat . In quæstionem hic potissimum venit , utrum omnis sanguis per venam umbilicalem eo delatus immediate hunc ductum subeat , an vero etiam quæ-

dam ejus portio in venæ portæ ramulos declinet, seu potius ab illo venæ portæ eo rapiatur. Prius statuit *Dn. Mery*, autumans, naturam ideo anastomoses hasce fabricasse, ut viis breviandis inservirent, ut & si hoc fieret, reliquam partem non tantum aëris alere, quantum ad perenandum sanguinis circulum requireretur. Quibus addi potest, quod viæ ita comparatae sint, ut liquor hic sponte sua in hunc canalem facile irruat, neque opus habeat ad hepatis glandulas fluere, cum copiosa bile onustus non sit, insuper in volatilibus vena umbilicalis neque illam portæ neque hepar in transitu salutet, sed ad cavam immediate progrediatur. Hinc quamvis non largiamur, maximam sanguinis partem hac via incedere, hæc tamen, quæ in medium proferuntur, tanti roboris non sunt, quin admitti etiam possit, aliquid hujus una cum illo, qui a nutritione residuus ab intestinis aliisque partibus refluit, in mutuo occursu suo in hepar simul abripi.

## §. XX.

Quod si porro consideramus finem, ob quem duplex vasorum in corde anastomosis constructa esse videtur, mirari satis & venerari Creatoris sapientiam non possumus, quippe quæ ex illa quam maxime elucet, cum enim embryo, ut supra dictum est, in utero materno aërem liberiorem non hauriat, pulmonesque ejus ferientur & otiosi sint, hinc non inutile tantum, sed & noxiū foret, si multum sanguinis ad hæc organa amandaretur; quam ob causam viæ hæ peculiares ita comparatae sunt, ut ille,

ille , excepta pauca quantitate , a pulmonibus quo-vis modo arceretur. Cui intentioni apprime re-spondet structura foraminis ovalis & ductus arterio-si , qua id efficitur , ut 1. non omnis sanguis per ca-vam ad cor properans opus habeat per utrumque ventriculum fluere , sed ille , qui ad sinistrum cor-dis sinum pergit , in trajectu suo dextrum non salutet & vice versa ex hoc egressus illum præterlabatur. 2. consequenter altera tantum portio hujus li-quoris in arteriam pulmonalem , altera vero in ve-nam ejusdem nominis perveniat , sicque tota massa vias inter se partiatur , 3. quoniam hæ anastomo-ses vasorum in loco cordi vicino sitæ sunt , hic humor non multum versus pulmones perget , sed in altera vasorum extremitate transeat , ut 4. particulæ aëreæ atque nutritiæ eo celerius deferantur ad aërtam , & ex hac in reliquum corpusculum , quibus magna ex parte privaretur , si per pulmones circulum suum perageret . Jam si in memoriam nobis revocamus situm harum viarum , foramen nempe ovale spectare truncum cavæ inferiorem , valvulam etiam hiare in venam pulmonalem , faci-lemque liquori ad illud appellenti transitum præ-bere , eandemque porro motui contrario quam ma-xime obstare , ductum denique arteriosum reliquis ramis ampliorem esse , talemque habere positum , ut , quicquid e dextro cordis sinu propellitur , recto tramite in istum perget , & non aliorum pergere possit ; quod si tandem his omnibus addamus , aërem venæ cavæ inferiori flatu immissum , facillimo negotio per foramen ovale , atque venam pulmona-  
lem ,

lem propelli , & pari ratione dextro cordis sinu inflato , illum eadem facilitate per ductum *Botalli* arteriam aërtam ingredi ; e contrario valvula ob-  
stare , quando idem tentare atque flatum e pulmo-  
monali vena in dextrum ventriculum propellere  
velimus ; his , inquam , omnibus rite pensitatis , non  
possimus non nobis aliisque persuadere , sanguinem ,  
qui in cava inferiore ascendit per dictum foramen  
ad venam pulmonalem , indeque in sinistrum cordis  
thalamum , & ex hoc in aërtam progredi , illum ve-  
ro , qui descendit , dextrum cordis sinum subire , &  
ex hoc in arteriam pulmonalem , moxque per du-  
ctum *Botalli* propelli , e quo in aërtam pariter de-  
latus priori rursus misceatur .

### §. XXI.

Et hæc , quam modo monstravimus , uti cuilibet  
hæc organa accurate intuenti facile patet , est via re-  
cta atque regia , per quam sanguis progrediens deter-  
minationem suam mutare opus non habet , quæque  
pulmones & ventriculos cordis a sanguinis copia libe-  
rat , quæ denique circulum hujus liquoris mi-  
rum in modum breviat . Hoc ipso tamen non vo-  
lumus , ac si plane nihil ejusdem per cavam ascen-  
dantis in ventriculum , aut descendantis per fora-  
men ovale simul abriperetur , concipi enim vix pot-  
est , sanguinem hunc duplicem eodem in loco sibi in-  
vicem occurrentem nullo modo misceri ; quanta au-  
tem illa portio fit , determinari non posse cum *Ver-  
heyenio* ingenue fatemur . Quæ , cum ita se habeant ,  
mirari satis non possimus , *Dñ. Mery* , Virum in Anato-  
micis

micis alias exercitatissimum pariter ac oculatissimum , huic naturæ intentioni & demonstrato sanguinis in fœtu circulo plane contrarium esse , dum illum pariter ac in adulto ad pulmones , atque ab his refluxum e vena pulmonali per dictum foramen in sinistrum cordis sinum secunda vice amandat , vias hoc ipso prolixiores quam in adulto reddens , de cuius placito , quod vix ulli alii arridet , infra quædam in medium proferemus . Ex his omnibus perspicuum ultimo loco est , quantum sanguinis circulus in fœtu differat ab illo , qui peragitur in adulto , ut pote in quo tota massa per venam cavam auriculæ primum , dein dextro cordis sinui infunditur , progressura per arteriam pulmonalem in intimam pulmonum substantiam , e qua per venam ejusdem nominis , auriculam sinistram , & ejusdem lateris ventriculum intrat , atque inde per aörtam in singulas corporis partes magno cum impetu propellitur .

## §. XXII.

Quod jam arteriarum umbilicalium usum attinet , opinio apud multos recepta est , per illas sanguinis partem a nutritione fœtus residuam , ideoque inutilem ad hepar uterinum , indeque ad matrem revehi , quo ipso talem istis usum assignant , qualem nulla alia in toto arteriarum systémate habet : sed præter necessitatem , qua non urgente , ab ordinariis naturæ legibus recedere nefas ducimus . Siquidem succus , quem a matre haurit fœtus , jam est elaboratus , neque multis recrementis scatet , aut si nonnulla intus alit , ab istis depuratur , dum ad varia organa

secretoria appellit. Laudandus itaque merito est *Cl. Bergerus*, qui *L. 2. c. 2. de Natur. Hum.* longe alia quam haec tenus factum est, via incedit, afferens arterias hasce sanguinem ex aorta descendente ad placentam & membranas eum in finem deferre, ut haec partes ab eodem nutriantur atque refocillentur, id quod facile probatur ex eo, quod iste non sit foeculentus aut a nutritione residuus, sed arteriosus, attenuatus, partibusq; nutritiis & aereis imprægnatus, ideoque ad nutritionem apprime aptus. Cui sententiæ, cum methodo in animali oeconomia solenni conveniat, assentiri nullo modo dubitamus. Neque nos movet, quod incongruum videatur, liquorem alimentarium non simul ac ab utero ad placentam pervenerit, sed non nisi post longiorem per foetus corpusculum & vasa umbilicalia decursum demum nutrire. Ut etiam metuendum non est, embryonem, si nullus per arterias refluit sanguis, ob continuum per venam affluxum obrutum iri, pari ratione ac mare ab aquis continuo se in illud exonerantibus, negato omni earum refluxu, quia 1. non adeo insigni in copia per venam affluit, 2. nutrimento copioso opus habet foetus.

### §. XXIII.

Vix, quæ peculiari sanguinis in foetu circulationi destinatae sunt, apertis visis, nunc etiam easdem intuebimur clausas. Sciendum enim est, omnes ac singulas, postquam in lucem editus est foetus, aeremque liberiorem respirat, sensim coalescere partim, partim oblitterari, ut vel nulla vel obscura earum

earum vestigia supersint. Ante omnia autem primo supponimus, canales & tubulos, qui quam maxime habant, quamdiu sanguis per illos ferebatur, collabi & internis suis parietibus invicem applicari, quamprimum perpetuus hic fluxus & transitus cessat. Secundo, illos non tantum immediate sese tangere, sed cum se invicem connasci, atque ita e contigiis fieri continuos, unde postmodum in ligamenta abeant. Quibus positis probandum unice est, nihil amplius liquoris per has vias in infantē in lucem edito ferri. Quod vasa umbilicalia attinet, cum illa aliquot ab umbilico digitis transversis ab obstetricie firmiter ligentur; cum etiam inchoata & perennante jam respiratione musculi abdominis continuo agant, omnesque eorum tendines in umbilico concurrentes vasa ista comprimant, in propatulo est, neque per venam ad corpusculum, neque ab eodem per arterias ullum sanguini progressum patere, aut si aliqua in & per has circulatio supersit, illam diu durare non posse. De qua vena adhuc notandum, quod hoc ipso non omnis ejus usus plane cesseret, quamvis enim vehendo non amplius sanguini inserviat, ligamenti tamen vices gerens hepatici firmiter colligando destinatur.

#### §. XXIV.

Qua vero ratione tubus venosus in hepate claudatur, *Dn. Taurry* autopsia edoctus bene explicat. 1. hunc tubum nullis fibris carneis, uti ramos venae portae, gaudere 2. speciem quandam valvulae ejus orificiis, tum qua venam portae, tum

etiam qua cavam spectat prætensam esse. 3. hunc canalem ad diaphragma locari. Unde facile jam colligitur, nihil sanguinis per eundem ferri in recens natis, quia 1. nullus per venam umbilicalem affluit, qui solus illum intrandi determinacionem habebat. 2. ille, qui per venam portæ rectæ pergit, istum non modo præterlabitur, sed & valvula ostiolo applicat, uti & 3. iste qui per venam cavam decurrit. 4. diaphragma continuo jam agens tubum istum nunquam non comprimit, & hoc ipso omnem sanguini aditum denegat. Hoc ipso tamen non volumus, hunc liquorem ita cursum suum mutare, ut a primo statim respirationis actu pristinas vias relinquat, sed successive, intra paucum tamen temporis spatium hoc fieri statuimus. Succedit foramen ovale, quod obturatur, dum valvula, quæ inter venam pulmonalem & auriculam dextram posita est, illi undique accrescit. Siquidem post nativitatem respiratione jam libera, thorax a musculis & pulmones ab irruente aëre dilatantur, proindeque sanguis, qua data porta in hos ruit; qui vero ab iisdem redit, venamque pulmonalem perfluit, materia aërea imprægnatus longe majoris jam est activitatis quam antea in fœtu fuerat, majoris etiam, quam ille in vena cava, qui lento magis gradu incedit, unde fit ut resistentia illius vincat nisum hujus per foramen transiturientis, sicque valvula ostio semper applicata sensim cum ejus margine uniatur. Hinc omnis venæ cavæ sanguis tenetur dextrum cordis ventriculum ingredi. Eodem fere modo se res habet cum tubo arterioso, qui ideo occludi-

cluditur, quod sanguis a pulmonibus, quavis inspiratione se dilatantibus, quasi attrahatur ( sit venia verbo) sic majori quam antea impetu eo ruens, determinationem mutet & orificium canalis præterlabatur, aut si aliquid eo perveniat, iste qui per aorta jam impetuosis fertur, obicem illi ponat.

### §. XXV.

Nihilominus dictæ hæ viæ, quanquam coalescunt & quasi obliterantur, manifesta tamen sui vestigia post se relinquunt, quæ ab illo, qui rei Anatomicæ non imperitus est, facile deprehenduntur. Sic vena umbilicalis, arteriæ ejusdem nominis & ductus arteriosus abeunt in ligamenta, illa quidem in crassius, hæc vero in tenuiora; de ductu *Botalli*, (cujus figuram nobis exhibent *Aet. Lips.* 1698. p. 295. lit. Q.) notandum, quod utrinque & in arteria pulmonali & in aorta cicatriculas quasdam a coalitu habeat. Nullus autem canalis a pristino statu magis degenerat in adulto quam venosus *Glissoni*, utpote cuius vix ulla in hepate, parenchymate etiam denudato, indicia superesse observantur. Contrarium vero occurrit in foramine ovali, hujus enim vestigia manifeste apparent, iambitus & peripheria circuli seu foraminis a valvula clare distinguitur, ipsa valvula cedula opposito lateri admota, magis pellucet, quam reliqua substantia, quod discrimin melius se conspiciendum præbet, a parte venæ cavæ quo in loco limbum quendam insignem præ se fert.

### §. XXVI.

Et hæ mutationes circa vias sanguinis fœtui

propriás ordinária naturæ lege contingunt, extraordi-  
naria vero hinc inde observatum est ab Anatomicis,  
easdem in uno vel altero subjecto adulto pervias &  
apertas ad senectutem usq; permanisse, id quod tamen  
non de omnibus intellectum volumus. De ductu quippe  
venolo *Glossoni* id ipsum vix legimus, sed so-  
lum de duplii vasorum cordis *ovariorum*, forami-  
nis ovalis & canalis arteriosi *Bottalli*, & de priore  
quidem magis quam de posteriore, utut & illud ad-  
modum rarum sit. Ita enim *Diemerbroek* Anat. l. 2.  
c. 10. pag. 410. de apertura foraminis ovalis loquitur:  
Rarissimum est si in adultis pervium inveniatur  
quemadmodum se illud semel atque iterum inveni-  
se scribunt *Pineus*, *Riolanus*, *Marchettus* & *Bartholi-*  
*nus*, id tamen vix in uno ex decem millibus reperie-  
tur. Alia exempla adultorum 20. & 40. annorum  
in quibus foramen ovale adhuc hiare visum est, pro-  
stant *Hist. Acad. Reg. Sc.* 1700. p. 52. & 1701. p. 46. &  
47. *Barthol. Cent. II. Histor.* 46. Sic Ampl. Fac. Med  
Senior D. D. Scheid nobis retulit, se idem in hydro-  
pico observasse, nulla ideo dispnoea per totum mor-  
bi decursum laborante. Et ut propriam etiam ob-  
servationem allegemus, hoc ipsum superiori anno  
in Theatro Anatomico jucundo admodum spēctacu-  
lo vidimus. Rarius vero est, canalem quoque ar-  
teriosum non claudi, uti in Sene quodam calculo  
vesicæ extinto testatur *Melch. Sebizius* noster jan. p.  
m. qui ejus rei testis *autóπλης* fuit, vid. *Diss. de urinai-*  
*& art. urin.* quam defendit Dn. Præses *Ann. 1700.*

## §. XXVII.

Similis procul dubio structura harum partium

occurrit in urinatoribus non tam artificialibus quam naturalibus, qui solo naturae beneficio nullis instructi machinis quam diutissime sub aquis degunt, & cum ab omnibus extincti crederentur, rursus emergunt, quo insigni privilegio non modo sparsim aliquos, sed integras familias & nationes, quæ inde a puerò huic arti assueverunt, gavisas esse & adhucdum gaudere multis probat *Diss. cit. de urinat.* Hinc *Corn. Consentinus* recte philosophatur, dum vitam urinorum sub aquis cum vita foetus in utero comparat. Unde etiam Nob. *Boylius* expertus est, animalia, quibus viæ adhuc patebant recipienti antliæ pneumaticæ immissa, longe diutius superesse, ob longius protractam circulationem, quam illa, quorum meatus am erant occlusi. Ex eadem ratione quoque *Cl. Pitkarnus* *Exerc. 4.* colligit juniora diutius aëris usura carere posse, quam ætate provecta. Confirmat idem analogia amphibiorum, inter quæ tamen magnum intercedit discrimen: nam in iis, quæ terræ magis quam aquæ assueta sunt, hi ductus vix manifestius patent, quam in animalibus terrestribus, unde lutram inter urinandum exertsis subinde naribus ex aqua aërem haurire, *Fonstonus* author est, & solertissimi qui que testantur, se in ejusmodi amphibiis. e. g. castore, lutra, ansere, anate &c. harum viarum hiatus omni adhibita industria frustra quæsivisse. Quod vero illa spectat, quæ in aquis frequentius quam in terris degunt, in iis patulas illas esse per totam viam facile largimur, nisi libertas ipsis dematur aquas intrandi, quo in casu & in his clauduntur. vid. *Descript. Anat. quorundam animalium Paris. p. 68.* Quæ omnia

mnia luculentissime docent ; animalia quævis , in quibus similis vasorum cordis mechanica occurrit, etiam extra uterum a frequenti aut saltem momentaneo respirationis exercitio eximi.

### §. XXVIII.

Nihil amplius superest , quam ut in scenam producamus. lites , quæ de usu foraminis ovalis magno cum fervore haud ita pridem agitabantur inter potiorem Anatomicorum partem & Dn. Joh. Mery, Academiæ Regiæ Scientiarum Socium & Chirurgiæ pariter ac Anatomes peritissimum , utpote qui sanguinis partem in fœtu , quantum quidem anastomoses cordis attinet ; contraria prorsus via , nempe e vena pulmonali per dictum foramen in sinistrum cordis sinum circulare facit , uti novam hanc suam opinionem tam in *Act. Acad. Reg. Scient.* passim , præ aliis in *Hist. Dn. Du Hamel.* l. 4. c. 3. & c. 6. l. 6. c. 5. quam etiam in *pec. tract.* quem *novum systema circulationis sanguinis in fœtu humano per foramen ovale inscribit* , multis argumentis & experimentis stabilire conatur , quorum præcipua in compendio hæc sunt. Primo loco id probat e structura cordis & circulatione sanguinis in testudine marina , quæ ansam huic systemati dedit videtur. Occurrunt autem in illa tres cordis ventriculi , dexter , sinister , & tertius . hic in antica ejus parte locatus est. Dextro implantatur vena cava , arteria aorta , atque alia quædam , quæ canalis arteriosi vices obit. Sinistrum sola vena pulmonalis ingreditur , e tertio vero non nisi arteria ejusdem nominis emergit ; insuper cavitas cordis

cordis sinistra in dextram, & hæc rursus in tertiam aperitur, beneficio duorum foraminum, quorum alterum ovale appellat. Ex qua structura mechanica colligit, sanguinem eundem in foetu circulum peragere. Secundo supponit hic Auctor, hunc humorem in foetu eadem ratione, ac in adulto, per pulmones circulare, quia arteria aorta pulmonali capacitatem sua minor existens transmittendo omni sanguini per duplē anastomosin affluenti impar est, cum capacitas vasorum copiæ sanguinis, quam illa vehunt, correspondere debeat, hinc sequi, ait, insignem ejus partem ad pulmones fluere.

### §. XXIX.

Tertio, quia diameter utriusque rami arteriæ pulmonalis amplior est, quam arteria aorta, ideoque censet, sanguinem omnem a pulmonibus refluxum hanc intrare non posse, sed partem ejus per foramen ovale in dextrum cordis sinum regurgitare debere. Quarto tanquam indubium ponit, sanguinem & in foetu & in adulto eadem celeritate per arteriam pulmonalem ferri, qua per aortam progeditur. Quinto negat valvulam dicto foramini ita prætensam esse, ut sanguini viam in venam pulmonalem facile præbeat, regressui vero ejus ex hac resistat, sed contrarium potius dupli ratione evincere conatur, quam vid. *Hist. Ac. R. Sc. Dñ. Du Hamel l. 4. c. 6. §. 5. & 6.* Sexto facilem sanguinis e vena pulmonali per foramen ovale transitum ab injectione liquoris & immissione aëris confirmat, quippe quam ex aorta per has vias in ventriculum

dextrum levi negotio fieri censet , ut & ab exsiccatione cordis inflati , hoc enim aperto , foramen istud non diminuta valvulae magnitudine manifesto hiare observavit . Addit septimo , foetus cum adulto comparatum eadem sanguinis quantitate , sed non eadem aëris copia gaudere , quam ob causam hunc non sufficere circulo illius continuando , nisi naturæ Opifex portioni ejus viam breviaret , id quod lege circulationis a se præscripta obtineri contendit . Octavo denique ratione diametrorum & capacitatis , quas arteriæ & venæ , auriculæ item cordis , e-jusque ventriculi inter se habent , comparationes instituit .

### §. XXX.

Eui opinioni plane novæ , quam primum illam orbi eruditio communicavit ejus Patronus , tantum non omnes Anatomici sese opposuerunt . Ut e multis paucos , eosque præcipuos recenseamus , in Gallia Dnn. Du Verney , Taurry , Buissiere , in Italia Morgagni , in Flandria Verheyenium & Palfynum aliosque alibi antagonistas expertus est , inter quos præ aliis primus & penultimus , ille in Act. Ac. Reg. Sc. 1669. & 1703. hic vero peculiari dissertatiuncula , supplemento ejus anatomico annexa , rationum momenta & experimenta magna cum solertia ponderarunt & refellere conati sunt , ita ut nihil fere addendum superesse videatur . Itaque nonnullas horum objectiones paucis verbis in medium proferemus , novas quasdam ex propria inspectione , quam nuper demum in foetu diffcili partu extincto habuimus ,

sub-

subjuncturi. Ad primum itaque respondemus, longe aliam esse cordis mechanicam in testudine marina quam in foetu humano, hinc uti in genere ab animalibus brutis, ita in specie ab hoc ad hominem non licere argumentari, & ut hoc obiter annotemus, insignem quidem Anatomia comparata usum habet, sed illi quoque debemus, quod plures in Anatomorum scholas errores irrepserint, dum in brutorum sectionibus occupati ea, quæ in illis viderant, ad corpus humanum, contradicente non raro experientia, transtulerunt. Deinde restitudo viarum atque determinatio potissimum venæ cavæ inferioris & foraminis ovalis sententia vulgari tam favet, quam systemati Dn. Mery contraria est, quippe quæ digito quasi monstrare videtur, quam proclivis sit sanguis ex hac vena per foramen tanquam viam regiam pergendi, id quod in ductu arterioso Botalli & venoso Glissoni observare etiam est. E contrario si ad mentem Dn. Mery moveretur sanguis, hanc suam determinationem maxime mutare deberet. Quibus addi meretur viarum amplitudo, quæ in his multo notabilior est, quam in ordinariis, dum hæ, ut supra jam notavimus, magis angustæ & contractæ quasi conspicuntur.

### §. XXXI.

Jam quod attinet circulationem sanguinis per pulmones, in qua cardo hujus controversiæ vertitur, asseritur illa quidem, sed argumentis & experimentis solidis non evincitur, & quod quam maxime notari meretur, plerique ideo vias hasce peculiares ef-

formatas esse contendunt , ne sanguis per pulmones fluere opus habeat; sed posita illa i. sinister cordis thalamus capiendo & arteria aorta transmittendo sanguini sufficit, ita ut hic non teneatur per foramen ovale regurgitare , quia negato e cava per hoc foramen affluxu minor ejus copia ad aortam fertur . 2. sanguis magis necesse haberet in adulto per foramen hoc circulare quam in foetu, quia in isto majori in copia pulmones transit. quin & 3. cum antea jam per has partes fluat, sicque nulla viarum mutatione, ubi foetus in lucem editur , ad mentem laudati Anatomici contingat, hoc foramen ordinarie occludi non deberet , quod autopsiae contrarium est quod si 4. arteria aorta transmittendo sanguini per utramque cordis anastomosin advecto non sufficit dexter pariter ventriculus omni illi, qui per utrumque venae cavae truncum & foramen ovale eo deponitur capiendo impar est. Denique 5. si juxta Dn. Merj copia sanguinis & viæ, per quas ille fertur , proportionatae esse debent, verosimile non est , parvam tantum ejus copiam per foramen ovale transire, uti iste quidem arbitratur , illud quippe amplum & quam maxime capax est. vid. Joh. Palfyn. Tr. de circul. sang. in fæt.

### §. XXXII.

Quod Idem porro de diametro arteriæ aortæ & pulmonalis, hujus item & ductus Botalli diversa habet , in genere in dubium vocari non potest, nam in adulto etiam arteria pulmonalis amplior est aorta, quamvis hujus capacitas, si coronariæ simul sumantur , non nihil augeatur. Verum illa non solum attendi meretur, sed etiam impetus & celeritas, qua liquor per istas vias fer-

fertur; est namq; regulis hydraulicis valde conveniens, majorem fluidi quantitatem eodem tempore per canalem angustiorem quam per ampliorem propellii, posita majoris propellentis virtute. Et quamvis Dn. Mery velit, sanguinem eadē celeritate per utramq; arteriam ferri, facile tamen contrariū evincitur, quia 1. ventriculus sinister validior est dextro, 2. systole & vis movens in aorta major ob fibras robustiores, unde sequitur propulsio fortior. 3. sanguis, qui per arteriam pulmonalem fertur, non potest æque celeri gradu per pulmones progredi; & posito etiam æquali harum partium robore, sanguinis tamen circulatio, si Dno. Mery credimus, æqualis non est, quia, ut ipse supponit, liquor eadem virtute propulsus minore cum celeritate per majora quam minora vasa movetur.

### §. XXXIII.

Quod jam valvulae situm & usum ipsi vulgo tributum attinet, ille cuivis autopsiam consulenti facile patere potest, siquidem tensa licet & foramina applicita venam pulmonalem versus statim cedit, ubi vis aliqua movens a parte venæ cavæ urget, præterea, ubi cum foramine jam coaluit hæc valvula, manifesto appareat, illam in vena pulmonali sitam fuisse, atque e cava in hanc hiasse. Experimentum quod sexto loco adducit, imitari tentavimus, sed infelici cum successu, flatus enim aut liquor in venam pulmonalem immissus hanc membranam foramina ita applicuit & versus cavam protuberare fecit, ut ne guttula quidem per illud in ventriculum dextrum transgredi potuerit; sed posit o, illud non omnino in dubium vocari debere, & repet ita inflatione successive aliquid eo pergere, mul-

to

to tamen felicius res succedit, ubi contraria via e vena cava si-  
ve liquor sive aër propellatur. Hinc si Dn. Mery experi-  
mento suo demonstrare posset, hæc fluida e vena cava  
non transire per dictum foramen, magnum suo systemati  
robur hoc ipso conciliaret. Exsiccatio porro cordis rem non satis  
probare videtur, quia 1. distinguendum est inter id, quod in ho-  
mine vivo, & quod in cadavere contingit, in illo namque  
omnia sanguine & spiritu turgent, in hoc e contrario lan-  
guent, ut facile credamus, valvula non exacte foramen oc-  
cludere, 2. vel minimum aëris inter valvulam & limbum fo-  
raminis feso insinuans, istam ab hoc removet.

#### §. XXIV.

In hoc denique omnes consentientes habet hic Auctor  
dum statuit, naturam omnibus modis viarum in fœtu breviata  
studere, sed in hoc rursus dissentient, qua nimis ratione illam intendat aut præstet; conceptu namque diffi-  
le est, hasce vias juxta circulum Dn. Mery breviari, quin po-  
tius prolongari illæ videantur, portione sanguinis bis per ven-  
triculum dextrum transeunte. Insuper non sequitur, sanguis  
non habet satis aëris ad motum suum continuandum, ergo  
transire per pulmones debet, quia fœtu non respirante nihil  
novi aëris ibidem recipit; hinc naturæ intentioni melius sa-  
tisfacere videntur illi, qui vias dividunt, partemque sanguini-  
nis aliam per foramen ovale, aliam vero per ductum Botalli  
transmittunt. Quod ultimo loco spectat ventricorum atq; au-  
ricularum capacitatem, in qua mensuranda Dn. Mery non parum  
occupatus est, cum Dn. Du Verney & Verheyenius in objectioni-  
bus circa illam prolati prolixè examinandis & diluendis non pa-  
rum operæ impenderint loc. supr. cit. ne nimium excrescat Dis-  
sertatio, Lectorem eo remittimus. Quid si jam sub calcem epi-  
crisis nostram proferre licet, nobis quidem videtur, Systema  
hoc non adeo firmis argumentis & experimentis a Patrono  
suo comprobatum esse, ut plenarium assensum mereatur, hinc  
vulgari opinioni inhærentes sanguinis circulationem  
in fœtu ea, quam supra docuimus, methodo  
fieri arbitramur.

T A N T U M.